



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid & quotuplex sit confirmatio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

inferioris, quæ statim quiescit & suspenditur, postquam causam referendam decrevit, ita ut eâ pendente nihil innovati aut attentati debeat, nec de causæ meritis inquiri, donec superior consultus aut ejus successor responsum dederit, & irrita futura sint, quæ post eam de-

cretam innovata seu attentata fuerint, si tamen partes in eam consenserint, & quarum etiam consensu causam reassumere potest, si nondum ea relata Principi fuerit. *argu. c. Bona 4. de postulac. Prælat.*

## TITULUS XXIX.

## DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

**P**eregrinantium nomine in hoc titulo intelliguntur illi, qui Romam proficiscuntur ad limina Apostolorum visitanda; vel ex alia causa necessaria & probabili ad sedem Apostolicam, & quamvis Rubrica tantum de Clericis loquatur, fatentur tamen AA. etiam de Laicis taliter Romam proficiscentibus seu peregrinantibus intelligenda esse, quæ hic statuuntur. Statuitur autem *inc. unico h. t.* ut qui proficiscuntur ad sedem Apostolicam, ipsi cum suis rebus sint sub ejusdem sedis protectione con-

stituti, & quod si quid durante itinere illis ablatum sit, restituendum illis sit, (quia contra peregrinantes ad sedem Apostolicam nihil est innovandum, & talis peregrinatio ad sedem Apostolicam habet vim appellationis) sive deinde ipso facto extra judicium illis auferantur aliqua, sive in judicio per sententiam Iudicis, cujus processus ipso jure nullus est, nisi accedens ad Papam citatione fuerit præventus, antequam iter institueret, *juxta c. penult. de foro com. penente.*

## TITULUS XXX.

## DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INUTILI.

## §. I.

*Quid & quotuplex sit confirmatio?*

**C**onfirmatio, prout hoc titulo de ea sermo est, communiter sic de-

finitur, quod Juris prius habitus seu quæsitus sit per Legitimum Superiorem facta corroboratio. Potest autem duplici modo fieri actus alicujus confirmatio. Primò tanquam necessaria per se ad complendum actum prius inchoatum,

Fff 3

&amp;c

& non perfectum quoad substantiam suam, qualis est confirmatio electi ad praelaturam v. g. quæ si valida sit electio, valida etiam ipsa erit, & electio tribuat jus perfectum; nulla tamen erit, si nulla sit electio. Secundò fieri potest confirmatio, non tanquam per se ad substantiam actus necessaria, sed ut ei majus robur, firmitas & auctoritas tribuatur, quæ fieri debet per legitimum superiorem (quæ enim à paribus in jurisdictione fiunt, non tam confirmationes, quàm approbationes dici debent, cum par in parem non habeat imperium, & quæ ex voluntate talis superioris actum de se invalidum, validum faciunt, innovationes rectius dicuntur, quàm confirmationes) & duplex esse dicitur. Prima dicitur simplex confirmatio, & in forma communi ordinaria facta, quando scilicet Princeps v. g. non plenè sed confusè tantùm de negotio instructus, actum v. g. ab inferiore gestum confirmat in eo statu, in quo ante fuit: altera fit cum perfecta talis negotij & omnium circumstantiarum cognitione, quam sapius etiam indicat Clausula *Ex certa scientia*. Differunt autem inter se hæc duæ confirmationum species, quòd illa, quæ fit in forma communi, nullum novum jus tribuat aut valorem actui cui accedit, sed relinquit invalidum, si invalidus per se est: altera verò species, quæ fit in forma speciali & cum plena causæ cognitione, novum jus tribuit actui, & hunc, si invalidus ex se est, defectum supplendo, validum facit, si tamen à confirmante defectus ille suppleri possit. Uti habetur in *c. 1. de transact. junct. Gloss. fin.*

## §. II.

*Ex quibus signis cognosci possit, quæ confirmatio alicujus dispositionis vel actus facta sit in forma communi vel speciali?*

**O**mnis confirmatio censetur facta in forma communi & ordinaria, nisi aliquod signum apponatur, ex quo constet eam in forma speciali factam, & specialia non præsumantur sed exprimentur. Sunt autem signa, quæ præbent in forma speciali factam confirmationem, varia.

Primò, si in rescripto confirmato totus tenor dispositionis vel actus, qui confirmatur, specificè inseritur; in tali enim casu constat ex certa scientia expressum fuisse Principem v. g. & sufficienter rei, quam confirmat, notitiam habuisse ac voluisse omnem defectum, & fortasse in dispositione illa repetiti defectum supplere, prout colligitur etiam ex *c. venerabilis s. h. 2.*

Secundò quando expressè adjecta clausula *Ex certa scientia* (rectè etiam talis casu, licet tenor dispositionis in rescripto confirmationis expressus non sit) ponitur sufficiens rei notitia per se principem v. g. fuisse) vel alia æquipollens *ex plenitudine potestatis v. g. aut non obstante quacunque lege aut consuetudine contrarium &c.* aut ex alijs verbis certæ confirmatoris talis certa scientia intelligatur, quibus in casibus censetur Princeps defectum, si quem fortasse præmissa dispositio, supplere; nisi defectus ille non esset juris positivi, qui à confirmante suppleri potest; aut sit ex illis aliquis